

mè possit mutari, nunc altius nunc depressius illud in li-
nea perpendiculari sumi, pro motûs metiendi varietate.
De tempore pendulis metiendo res non est tanti mo-
menti, cum illud semper uniformiter decurrat. Unde
si semel ejus altitudinis & ponderis invenero pendulum,
cujus vel simplex vibratio, vel composita respondeat mi-
nuto vel primo, vel secundo horario, eo in omnibus e-
jusmodi possum uti negotiis. De iis verò, quibus mo-
tus veniunt determinandi, pendulis, longè alia res est.
Consultius itaque duco, si solummodò conficiatur regu-
la quædam vel lignea, vel ferrea, eique inscribantur varii
gradus longitudinis, in una verò ejus extremitate, fora-
mine facto, affigatur filum quodcunque æquali cum re-
gula vel etiam longiori extensione, gerens in fine globu-
lum plumbeum certæ gravitatis, v. g. uncialis. Et con-
fecta sunt hoc unico plurima alia pendula. Quotquot
enim gradus in filo vel regula illa inveniuntur longitudi-
nis, tot in momento possunt fieri pendula, si tantummo-
dò gradum quemcunque digitis prehendo, concedoque
moveri motu solito pendulum.

Sed applicabo hoc ad *Pulsum*, ut qui propius reli-
quis motibus & me & unumquemque ferè tangit, me-
tiendum.

C A P. III.

De

Usu specialiori.

PENDULI oscillationes pulsationibus applicari posse cla-
rè demonstravit, tum in publicis semioticis, tum in
privatis Institutionum Medicarum prælectionibus præ-
teritâ jam æstate, Vir Nobiliss. Excell. atque Experientiss.

E

Dn.